



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciae**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Anglica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



# ANGLICA.

## LONDINUM.

IN LONDINUM JUL. CÆS.

SCALIGER.

**V** Rbs animis, numerôq; potens, & robore gentis,  
 Vel cunctos præ se despicit una deos.  
 Torva peregrinis, sed non & inhospita, merces  
 Vicinis patrias aggerit, atq; petit.  
 Contemnis, cui das, tanquam ipso munere major,  
 Odisti unde petis, ne videare minor.  
 Dicat, quid bello valeas, Aquitania. quid non:  
 Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

ALIIQUOT REGUM ANGLIÆ EPI-  
 taphia Londini in VVestmonaste-  
 rio descripta.

### ETELREDI.

In isto tumulto jacet Etelredus, quondam Rex Angliæ,  
 de genere Saxonico filius regis Edgari, dicti pacifici, & pa-  
 ter sancti Eduardi regis & confessoris. qui quidem Eduar-  
 dus in senectute sua bona, virgo perennis, migravit ab  
 hoc seculo, cujus corpus incorruptum jacet in Westmo-  
 nasterio.

Fuit etiam pater Edmundi regis. postquam autem re-  
 gnauerat annos 38. in magna tribulatione Danorum, ob-  
 iit XXI. die mensis Aprilis, Anno Domini M. XVI. an-  
 no ætatis suæ 48. & hîc sepulturam promeruit, cujus ani-  
 mæ propitiatur Deus.



## ALIUD S. EDUARDI.

*Omnibus insignis virtutum laudibus heros  
Sanctus Eduardus, confessor, rex venerandus,  
Quinto die Jani moriens supra aethera scandit,  
Sursum corda.*

## HENRICUS II.

*Tertius Henricus est templi conditor hujus.  
Dulce bellum inexpertis. Anno 1273.*

## EDUARDUS PRIMUS.

*Edwardus primus, Scotorum malleus hic est.  
Anno 1308. Pactum serva.*

## REGINA ALEONORA.

*Consors Edwardi primi fuit, Aleonora.  
Anno 1298. Disce mori.*

## EDUARDUS TERTIUS.

*Tertius Edwardus fama super aethera notus.  
Pugna pro patria. Anno 1377.  
Hic decus Anglorum, flos regum praeceptorum,  
Fama futurorum, rex clemens, pax populorum,  
Tertius Edwardus regum complens Jubilaeum.*

## REGINA PHILIPPA.

*Conjux Edwardi jacet, hic regina Philippa.  
Disce vivere. Anno 1369.*

## RICHARDUS II.

*Hic jacet immiti consumtus morte Richardus.  
Fuisse felicem, miserrimum.  
Prudens & mundus, Richardus jure secundus,  
Per fatum victus jacet hoc sub marmore pictus.  
Corpore procerus, animo prudens ut Homerus,  
Ecclesia*



*Ecclesia fovit, elatos suppeditavit.  
Quem vis prostravit, regalia qui violavit.*

## HENRICUS V.

*Gallorum mastyx jacet hac Henricus in urna.*

*Domat omnia virtus.*

*Pulchra virumq; suum tandem sociat Catharina.*

*Anno 1437. Ocium fuge.*

## ALIUD.

Margaritæ Richemundiæ, septimi Henrici matri, octavi aviæ, quæ stipendia constituit, tribuit hoc cœnobium Monachis, & doctoribus Grammatices apud Wernbrun, perque Angliam totam divini verbi præconibus; duobus item interpretibus litterarum sacrarum, alteri Oxoniis, alteri Cantabrigiæ, ubi & Collegia duo Christo & Johanni discipulo ejus struxit. Moritur anno Domini 1460. tertio Cal. Julii.

## HENRICUS SEPTIMUS.

Hic jacet Henricus, hujus nominis VII. Angliæ quondam rex, Edmundi Richemundiæ Comitis filius, qui die 22. Aug. Rex creatus, statim post apud Westmonasterium 30. Octob. coronatur, anno Domini 1485. moritur deinde XXI. April. anno ætatis LIII. Regnavit annos XXII. mens. VIII. minus uno die.

## EIDEM.

*Septimus Henricus tumulo requiescit in isto,*

*Qui regum splendor, lumen & orbis erat.*

*Rex vigil & sapiens, comis, virtutis amator,*

*Egregius forma, strenuus atq; potens.*

*Qui peperit pacem regno, qui bella peregit*

*Plurima, qui victo semper ab hoste redit.*

*Qui natas binas conjunxit regibus ambas,*

*Regibus & cunctis fœdere junctus erat.*

*Qui sacer hoc struxit templum, statuitq; sepulchrum*

*Pro se, proq; sua conjuge, prole, domo.*

*Lustra decem tres & virius compleverat annos,*

*Jam tribus octonis regia sceptrâ tulit.*

PP



*Quindenus Domini centenus fluxerat annus,  
Currebat nonus, cum venit atra dies.  
Septima ter mensis lux tunc fulgebat Aprilis,  
Cum claudit summum tanta corona diem.*

## ALIUD IBIDEM.

*Septimus hic situs est Henricus gloria regum,  
Cunctorum illius qui tempestate fuerunt,  
Ingenio atq; opibus, gestarum nomine rerum,  
Accessere quibus natura dona benigna,  
Frontis honos, facies augusta, heroica forma,  
Junctaq; ei suavis conjunx, perpulcra, pudica,  
Et fecunda fuit, felices prole parentes,  
Henricum quibus octavum terra Anglia debes.*

## REGINA ELISABETHA.

Hic jacet regina Elisabeth, Eduardi IIII. quondam regis filia: Eduardi V. quondam regis nominata soror: Henrici septimi olim conjunx; & quæ Henrici octavi regis mater inclita. Obiit autem diem suum in turri Londoniarum die XI. Febr. anno Dom. 1502. 37. annorum ætate defuncta.

In horto arci adjuncto, ad horologium.

*Dic mihi quid prodest horas numerare fugaces?  
Cum cessans perdas quod numerare libet.*

Londini in domo mercatorum Germanorum, vocata Stilard.

*Hac domus est lata, semper bonitate repleta,  
Hic pax, hic requies, hic gaudia semper honesta.*

Item.

*Aurum blanditia pater est, natusq; doloris.  
Qui caret hoc, mæret; qui tenet, hic metuit.*

Item:

Qui bonis parere recusat, quasi vitato fumo in flammam incidit.

MONU-



MONUMENTUM THOMÆ LINACRI  
*Londini in templo D. Pauli.*

Thomas Linacrus, regis Henrici VIII. medicus, vir & Græcè & Latinè, atque in re medica longè eruditissimus, multos ætate sua languentes, & qui jam animam desponderant, vitæ restituit: multa Galeni opera in latinam linguam, mira & singulari facundia, vertit. Egregium opus de emendata structura latini sermonis, amicorum rogatu, pauló ante mortem edidit. Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, Cantabrigiæ unam, in perpetuum stabilivit. In hac urbe collegium medicorum fieri sua industria curavit, cujus & Præsidentis primus electus est. Fraudes dolosque mirè perosus, fidus amicis, omnibus ordinibus juxtá carus: aliquot annis antequam obiret, sacerdos factus, plenus annis ex hac vita migravit, multum desideratus. Anno 1524. 20. Octob. cujus animæ sit Deus propitius.

Aliquanto altius tumba cum phœnice & inscriptione,  
 VIVIT POST FUNERA VIRTUS.

Thomæ Linacro, clarissimo medico Jo-  
 an. Cajus posuit M. D. L VII. m. Aug.

DEO TRINO ET UNI OPT.

MAX. SACRUM, AC

Æviternæ memoriæ nobilissimi honoratissimi omnique virtutum & eruditionis genere præstantissimi viri Domini ADOLPHI à MEETKERKE Brugensis, equestris ordinis, summi Flandriæ Concilii præsidis dignissimi & justissimi, in creandis per Flandriam urbium civitatumque magistratibus legati perpetui. Qui difficillimis Belgarum temporibus illustrem locum consilarii status, in supremo trium ordinum Belgicarum Provinciarum senatu, multis principibus junctus collega, plus quàm decennium sustinuit, Legationes quoque eorundem ordinum nomine apud varios Germaniæ superioris & inferioris Principes, Regem Galliæ, ejusque fratrem Principem Alenconium, tum etiam apud serenissimam hanc Angliæ &c. Reginam principi Haurço factus collega, summis de rebus, maxima

Pp ij



fide, summaq; cum laude, obiit. Eximie cognitionis, cum Jurisprudentiæ, tum historiæ fama celeberrimus. Nec minus à bonarum artium, humanarumq; disciplinarum & linguarum, præsertim Latinæ & Græcæ (quarum posterioris fuit restaurator) eruditione commendatissimus. Quodque primum omnium est, pietatis in Deum & homines, veritatis Evangelicæ & Justitiæ cultor studiosissimus, cujus causa omnibus supradictis honoribus relictis, exilium, etiamsi ipsi in sua senectute durum, tamen libens Christi causa suscepit, nullo Hispani auro, vel ingentibus pollicitationibus (quibus à recto instituto dimovere eum conabantur) expugnabilis.

Is natus annos LXIII. mens. vi. prid. non. Octobr. Anno post natum Messiam Salvatorem nostrum c l o l o x c i. ex hac peritura ad perennem vitam emigravit, cum ex duabus nobilissimis selectissimisq; uxoribus, tam virtute quam genere clarissimis, Dn. Jacoba Cervina, & Dn. Margareta à Lichtervelde, plurimos suscepisset utriusque sexus liberos. Ex quibus moriens sex, ex qualibet uxore videlicet tres, reliquit superstites.

Ex priore Balduinum; qui cæso nuper in expugnatione Daventriæ fratre suo primogenito Domino Nicolao militum Duce fortissimo, militibus dicti fratris sui à serenissima Angliæ Regina est præfectus. Adolphum patri cognominem, à fratre in ordine militari secundum; & filiam Annam, uxorem clarissimi viri Domini Pauli Knibbii Jurisc. & sereniss. Daniæ Regis Consiliiarii.

Ex posteriore filium anniculum Eduardum, & duas filias Elizabetham & Salomen, tres liberalissimæ indolis & formæ infantes.

Cui placidè in Christo humane gentis sospitatore obdormienti, hoc meritis ipsius debitum mortale monumentum, immortalis amoris & reverentiæ, Petrus ab Heila, dictus Varheila Brugens. Jurisc. popularis, civis, & amicus ejus mœstiss. pos.

In symbolū nobilissimi, honoratissimi, omniq; virtutum & scientiarū genere cumulatissimi viri Dn. ADOLPHI à MEETKERKE Brugensis, equestris ordinis, summi Flændriæ præsidis dignissimi & æquissimi.



*Sunt autem dua dextra inter se junctæ, quarum una armata est, altera inermis, quibus tertia é nube superveniens duas priores complectitur, additis his verbis ad nomen Adolphi alludentibus:*

ΦΙΛΟΙΣ ΕΧΘΡΟΙΣΤ' ΑΔΕΛΦΟΣ.

ET AMICO FRATER ET HOSTI.

*Quid manus armata est? hostis. Quidnam altera? amicus.*

*Tertia? MEETKERKUS, qui manum utramq; capit.*

*Quid Græcæ voces? ET AMICO FRATER ET HOSTI.*

*Vocum harum interpres vita Mekerke tua est.*

Petrus ab Heila, dictus Verheila, Brugen-  
sis, Jurisconsultus.

## CANTABRIGIÆ.

### IN TEMPLO CATHEDRALI.

**N**icolaus Wotonus Roberti Wotoni Equitis aurati ex Anna Belknappa filius, utriusq; Juris Doctor, Ecclesiæ hujus primus, itemq; metropolitanæ Ecclesiæ Divi Petri Eboracensis Decanus: Henrico VIII. Eduardo VI. Mariæ & Elisabethæ Angliæ Regibus à secretis cōsiliis, ad Carolum V. Cæsarem bis, ad Philippū Hispaniæ regem semel, ad Franciscum primum Francorum Regem, ad HENRICUM secundum ejus filium ter, ad Mariam Hungariæ Reginam Belgarum præsidem semel, ad Guilhelmum Cliven-  
sium Ducem bis legatione functus. Renovatæ pacis inter Anglos, Francos & Scotos, inter Guinas & Arderam anno 1546. similiter & ad Castrum Cameracense, anno 1559. Deniq; Edimburgi Scotiæ anno 1560. Oratorū munus. Hic tandem ferè septuagenarius requiescit. Hæc ille ante mortem & ante morbum, quasi fatalem diem præsentens, & cygneam cantionem propheticè canens sua manu in mureo scripta reliquit. Qui apud tales Principes divina providentia gubernante, laudabiliter & in tot ac tantis causis, quarum magnitudo gravissima, utilitas publica fuit, feliciter bonam vitæ suæ partem cōsumsit, eum vivum, sapientem & experientissimum ipsa invidia judicare debet. Quam semper ab omni contentione hono-



rum fuerit alienus, illud declarat, quod ad hanc ecclesiasticam dignitatem non ambitione ulla sua inflammatus, nec amicorum opera usus aspiravit, sed eam utramque Henricus VIII. hominis merito & virtute provocatus, ultro detulit. Cumque idem rex illustrissimus morbum lethalem ingravescere persentiret, & Eduardi Principis sanè excellentissimi, adhuc tamen pueri & Reip. administrandæ imparis, imbecillam ætatem senili prudentia secretioris consilii sui regendam existimaret; illis ex sedecim, quos supremæ voluntatis suæ testes & vindices testamento instituit, hunc Nicolaum absentem tum in Francia legatum unum esse voluit. Eduardo regi jam medio regni curriculo propè confecto, unus ex primariis secretariis fuit; quem locum diutius tenere potuisset, nisi & suis & assiduis amicorum precibus abdicanti veniam impetrasset. Corpus illi erat gracile quidem & parvum, sed erectum, habitudo sana, vultus liberalis, victus exquisitus, quem semel tantum in die capere consueverat. valetudo adeo firma, ut raro morbum aliquem senserit. animus verò totus libris ac literis dicatus, artium, Medicinæ, Jurisprudentiæ, & Theologiæ studio intentus, linguarum Romanæ, Italicæ, Gallicæ, & Germanicæ inferioris cognitione pulchrè exornatus. Ita vir iste genere clarus, legatione clarior, domi ac foris clarissimus, honore florens, labore fractus, ætate confectus, postquam Decanus huic Ecclesiæ annos 25. dies 293. præfuisse; Londini Januarii 26. anno nostræ salutis 1560. piè & suaviter in Domino obdormivit, Thoma Wottone nepote hærede relicto, qui ei hoc monumentum non honoris ergo, quo abundavit vivus, & florescet mortuus; sed amoris causa, quem memoria colet, ut debet, sempiterna, consecravit.

## OXONIÆ.

SUPRA AUDITORIA ARTIUM LIBERALIUM  
DISTINCTA.Grammatica.  
Dialectica.*Literas discere.*  
*Imposturas fugere.*

Rhetorica.



Rhetorica.	<i>Persuadent mores.</i>
Arithmetica.	<i>Numeris omnia constant.</i>
Musica.	<i>Ne tibi dissideas.</i>
Geometria.	<i>Cura qua domi sunt.</i>
Astrologia.	<i>Altiora te ne quaesieris.</i>

## SEQUUNTUR VIRTUTES.

Patientia.	<i>Patientia vincit ferendo.</i>
Humilitas.	<i>Modestia amabilis.</i>
Fortitudo.	<i>Fortis est qui omnem fortunam devincit.</i>
Spes.	<i>Spe vincim<sup>9</sup> omnes. Sed omnis fiducia sine Deo vana est.</i>
Cautio.	<i>Cautus vincit omnia.</i>

## LECTORI S.

**S**ub tabulis geographicis sequentes inscriptiones leguntur; quas non tam propter latinitatis, qua non magna est, elegantiam; quam propter res ipsas cognitione non indignas hic subjicere voluimus.

## I. DE ARCHITHALASSO.

Archithalassus Dominus Christophorus Colon, natione Ligur, aperturum se Occidentales Indorum insulas & continentem, regibus Catholicis, felicitis memorie, pollicitus est; si ad hanc provinciam capeffendam necessaria sibi abunde impenderent. Quippe qui trium navium regio apparatu & copiis omnibus suffultum emiserunt, anno ab orbe redempto 1492. Post eum plurimi succedentes has provincias nobis claufas aperuerunt, prout in praesenti descriptione patet.

## II. DE HISPANIA INSULA, DEQUE

*divi Johannis & Cuba.*

Hispania haec Insula innumeri praedives pecoris & armentorum est, plurimo inde extracto abundat auro, saccharo & Cassia fistula; permultae navium stationes ac portus insunt: praecipuus autem omnium est sancti Dominici,

Pp iij



quæ civitas insignis esse perhibetur, multiq; commercii. Reliquæ siquidem coloniæ ductæ ab Hispanis & conditæ sunt in Cubæ ac Divi Johannis, cæterisq; omnib. insulis, nec non continenti aurifodinæ innumeræ passim effodiuntur. Hæc loca omnia frequentibus incolis habitantur. Celebri divi Dominici urbe regium forû præest Imperatoris edicto. In aliis veró oppidis, villis & insulis, ejus gubernatores populos regunt ratione & legum sinceritate potius, quàm animi affectibus. Incognitæ seu ignotæ nobis Indorum regiones indies aperiuntur expugnanturq; quo fides Catholica felix ac faustum capit incrementum. Hispania veró congestis undiq; opibus ditior evadit.

### III. DE NOVA HISPANIA.

Hanc continentem Hispani à suo nomine novam Hispaniam denominarunt, quam illustris Dn. Fernandus Cortesius Vallis & Gnaxacæ Marchio expugnavit. Ejus plurimæ insunt provinciæ, urbesq; innumeræ habitantur, quarum insignior Mexicum nuncupatur, Indorum nomine; hæc siquidem numero quingenta incolarum millia excedit, eamque lacus quidam salis circuit, quadraginta parasangis. inde extracta maxima auri & argenti copia, ac preciosis lapillis, cum reliquæ hujus provinciæ urbes tum ipsa Mexicum præcipuè abundat plurimis. Hic bombyx & gossipium, alumen, crocum, glastum, aliisque ad conficiendum colores producuntur: præsertim saccharum, seu arundineus succus adeo passim prodit, ut omnes Hispanorum naves annuatim ad Baticam Hispaniam onerentur, indeque ad omnes provincias. Hujus incolæ ad commutandas omnimodas merces callidissimi sunt: pro nummis enucleatis mediis amygdalis utuntur, quod nummorum genus Cacao seu Cacagnate barbaro Indorum nomine appellant. Tritico, hordeo, aliisque seminibus, uvis & cæteris fructibus plurimum abundat: innumera terrestrium animalium genera, præcipuè cervorum, aprorum, leonum, pardorû, tigrorum passim vagantur, aviumq; volatiliû inexhausta propemodum multitudo: quæ quidem loca omnia venationis plena. Ea gens doctissima & apprimè studiosa est, tam ad formandas qualescunque



cunq; res sculpendi arte, quàm ad effingendas quasvis exactè figuras graphiis. Eorū mulieres gemmis, unionibus & preciosis lapillis ornantur. Papyri quodam genere Indituntur, in quo figuris quibusdam delineant quæcunq; voluerint pro litteris. Nunquam mutuò pacem inierunt concordi foedere, quin imò se in vicem insequabantur bellis assiduis ac detestandis. Qui verò ex utraq; acie victi capiebantur, hi ceu victima diis patriis pro victoria litabantur; quorum cadavera, pro publicis dapibus, exercitui apprabantur. Ea gens idolorum cultrix erat, carnis hominum avidissima, adorabatq; omnia, quibus animus ejus quotidie afficiebatur; etsi tempestate nostra ferinis illis antiquis moribus exuta, & Christum Dominum nostrū induens, fido corde profiteatur, veneretur & colat, Evangelicæ fidei, Christianorumq; religioni firmiter credens; sacrosanctæq; Catholicæ orthodoxorum Ecclesiæ sinceris monitis, divinisq; præceptis obtemperans.

---

#### IV. DE FRETO OMNIUM SANCTORUM.

Fretum hoc omnium sanctorum Fernandus Magallianus aperuit; quem classis regia Hispanorum ad aperendum expugnandumq; Malucarum Insulas S. C. C. majestatis Caroli Imperatoris invictissimi regis hujus nominis Quinti ducem præfecerat. Qui ad hoc fretum degunt gigantes potius terrigenæ, quàm homines esse traduntur. horum regio amplissima, vasta solitudine, ac raro habitatore, colitur. hi homines solis animalium pellibus induuntur.

---

#### V. DE MALUCARUM INSULIS.

Has Malucarum Insulas Fernandus Magallianus diu nostratibus clausas aperuit, nec non Johannes Sebastianus Delcano ejus successor, quem inquam Fernandum ad opulentissimas has Indorum Insulas aperiendas S. C. C. majestas Caroli Imperatoris hujus nominis Quinti, suæ regis Hispanorum classi ducem & gubernatorem præfecerat: quæ quidem classis é portu Hispalis insignis civitatis Baticæ provinciæ nauticum solvit. Is itaq; primò fre-



rum omnium sanctorum aperuit, quod ab æquinoctiali ad antarcticum vergens 52. gradibus cum dimidio distat. cumq; supradictas Insulas petens, haud sine maximo suo periculo, suorumq; labore intolerabili ulterius navigare pergeret; tandem longo post tempore quibusdam appulit Insulis, e quibus a polo Arctico magis ad meridiem spectat 12. ab æquatore gradibus semota est. cuius homines agilitate apprimè callidi sunt, quorū latrocinis, quia cymbula quædam classis e conspectu nautarū Hispanorum evanuit, ea loca latronum insulas denominarunt. Hinc deinceps ulteriori navigatione aperuit quandam Insulam, cui Lagoada nomen indidit, quoniam eodem aquatum ire illi contigit. Aperuit & alias, Gungam felicet, Accilam & Acubu: in quarum ultima dictus Fernandus Magallianus congressu quodam Indorum hostium vita functus est. Cui Johannes Sebastianus Delcano totius classis suffragiis votisq; omnium electus feliciter successit, qui postea sequentes Insulas Bendenao, Apoloam, Brunai, Bilolo, Atidori, Terrenati, Modill, aliasq; quamplurimas insulas aperuit, quibus maxima auri copia exoritur, gariophyllorū, cinnami, nucis myristicæ & omniū aromatum & mercium, adeo, ut ipse classarius Johannes Sebastianus Delcano duas naves ex quinque, quas e naufragio receperat incolumes Atidori insula, gariophyllis oneravit. In illa liquidè ac Terrenati tantum, in aliis vero insulis nusquam, produci ajunt. Abundè itidem cinnamum ac nuces myristicæ Bendenao leguntur, quarū etiam maximam copiam inde abstulit. Dumq; is ad Hispaniam per mare Indicum rediret, ac Bonæ Spei promontorium insinuare properaret; altera navium sentinā exantillare haud facile valens, ne fluctibus obrueretur, Atidori insulam iterum petere coacta fuit, unde mare metiri ceperat. Johannes verò Sebastianus Delcano Bonæ Spei promontorium pertransiens navi, quā vehebatur, cui nomen diva victrix Maria, Hispalim civitatē Baticæ regionis tutò adire potuit, unde primū navigare inchoaverat, anno a nativitate Redemptoris 1522. Ex quo satis constat Johannem Sebastianum Delcano totum orbem circulariter navigasse, utpote qui adeo occidentalem plagam usque permeavit.



permeavit, ut eodem transiens, ad Occidentem iterum rediret, unde primum iter cœperat.

## VI. DE PERU.

Has provincias nobis aperuerunt expugnaveruntque magnanimi equites Franciscus Picarro & Almagro, qui inquam Franciscus Picarro has dum vixerat gubernavit. Copioso inde extracto, abundant argento aurifodinisque & pretiosis smaragdis. Panis eorum quo vescuntur & vinum quod bibunt, ex quadam spica prægrandi fit, quæ Indorum idioma Maiz appellatur. Ea gens bellicosa est, acri ingenio, idolorumque cultrix, utiturque in bellis fundis, arcu & jaculis: armaturæ earum aureæ sunt & argenteæ. Genus quoddam ovium illic nascitur, parvorum camelorum simile, quorum lana mollis ac subtilissima est. Ad viginti parasangas & amplius tota littoralis ora nunquam pluviâ madescit. Christicolæ plurimas illuc ducunt colonias, indiesque eas augere student.

VII. DE ARGENTEO FLUMINE, QUOD  
*vulgo Rio de Plata nuncupatur.*

Vastum flumen hoc Indorum lingua Urnai, Hispano verò idioma Rio de la Plata nuncupatur: cui affluit & alius fluvius Parana nomine. Hoc autem Johannes Dias Solis, invictissimorum Catholicorumque regum Fernandi & Elisabethæ Archigubernius primus aperuit insulæ tenus, quam à nomine cujusdam nautæ suæ classis ibi sepulti insulam Martini Gartia denominavit, quæ memoratū intra flumen ab ejus ostiis 40. parasangis distat. hanc siquidem per varios casus, per tot discrimina rerum dum clausam suis aperit expugnatque; ab Indis oppressus occisusque devoratur. Elapsis autem postea multis annis Sebastianus Cabotus navigandi arte astrorumque peritissimus Dux & Archigubernius Caroli Imperatoris hujus nominis Quinti, regisque potentissimi, denuo nobis aperuit classe regia, cui ipse Imperator ducem præfecerat ad aperiendum insulas Tarcis, Ophyr, Crapange, & Coicatai, qui inquam Archigubernius obiter flumen hoc intravit.



In causa fuit, quia navium ejus ductrix naufragium fecerat, procellosis obruta fluctibus, quo cursum sibi destinatum cum sociis continuare minimè potuit, cumque his nautis, qui mari recepti aderant, flumen aperire aggressus est, haud sine maximo suo periculo, suorum labore intolerabili, fame ac rerum omnium penuria. A nonnullis Indorum antea certior factus, regionē istam auro & argento omnium opulentissimam esse, quo solertissimus Dux & Archigubernius motus, ducere colonias cœpit prope flumen, nonnullas arces ac propugnacula cōdere diligenter curavit, quīs Hispani incolæ facillè tueantur, & vim hostium Indorum inde propellerent. Hoc flumen majus est omnibus nobis cognitīs, cujus ostia mare adfluentia latitudine 25. parasang. protenduntur, reliquum hujus supra 300. ab ostiis latitudinem duabus parasangis dimittitur, cujus vasta profunditas causatur ex multorum confluxu ingentium fluviorū. Multis abundat & optimis piscibus omnium quos mare nutrit. Gens nostra cū primum his appulit oris, an culta tellus illa fertilis esset, periculū fecit, collectis quinquaginta duobus tritici granis, quæ in tota earum classe invenerant, mense Septembri terræ mandavit. Decembri verò duo millia supra quinquaginta messuit: aliorum seminum ac leguminū eadem est fertilitas. Hujus regionis incolæ non procul inde celsos quosdam montes esse ajunt, è quibus ingentem auri copiam extrahere solent. Nec multo longiori intervallo alios asserunt innumero abundare argento, & alia cū visu tum dicta innumerabilia enarrantur, quæ pro eorum prolixitate, ne fastidiant animi, silentio traduntur. Hi hominum proni sunt ad laborem, & terræ cultus studiosissimi, unde multum vini & panis conficiunt, ex ea spica quam Indi Marā appellant. Quoddam genus oviū hīc magno corpore adest, parvorum camelorum instar, quarū vellera pro molli & tenuissima lana ceu bombyce exornantur, suntque alia quamplurima diversorum animalium genera. Hujus regionis homines formā & colore inter se longè differunt. siquidem qui in montibus degunt, albi colore & nobis similes sunt; qui verò fluminis ripas incolunt, hī fusco & tetro colore nigrent: nonnulli eorum caninā faciem habere



bere perhibentur. Quidam veró pedes & tibias ad struthi-  
ocamelorum similitudinem habent.

VIII. DE TERRA NOVA, QUAM  
*vulgus Baccalios appellat.*

Terram hanc olim nobis clausam aperuit Johannes  
Cabotus Venetus, nec nō Sebastianus Cabotus ejus filius,  
anno ab orbe redempto 1594. die veró 24. Junii, hora 5.  
sub diluculo. quam terram primúm visam, & insulam  
quandam magnam ei appositá, insulam D. Johannis no-  
minarunt, quippe quæ solemní die festo Divi Johannis  
aperta fuit. Hujus terræ incolæ pellibus animalium indu-  
untur. Arcu in bello, sagittis, spiculis, clavis ligneis & fun-  
dis utuntur. sterilis incultaq; tellus est. Leonibus, ursis al-  
bis, procerisq; cervis, piscibus innumeris, lupis & salmo-  
nibus, & ingentibus soleis unius ulnæ longitudine, aliisq;  
piscium diversis abundat generibus. Horum autē maxi-  
ma copia est, quos vulgus Baccalios appellat. Adhæc in-  
sunt accipitres nigri, corvorum similes, aquilæ, perdices-  
que fusco colore, aliæq; diversæ volucres.

IX. DE ISLANDIA INSULA.

Hæc insula innumera piscium multitudine abundat,  
quos ejus incolæ hyeme capiunt, & Boreali horriferoque  
frigore desiccant, utpote in qua sub Arcti sita circulo pe-  
netrabile frigus adurit. Ineunte autē vere Angli, Germa-  
ni, aliarumq; diversarum regionum incolæ huc adnavi-  
gant, pisces hos frigore desiccatos farinæ & cerevisiæ com-  
mutatione emturi. Estq; hoc piscium genus adeó durum,  
ut malleis ferreis super lapidē pertundere necesse sit: post-  
ea veró aqua biduo mollire, quó tandem butyro cōdient-  
es comedant. Non solum hæc insula ingentem piscium  
copiam alit, sed etiam totum mare Scythicum, quorum  
nonnulli adeó vasto corpore emergunt, ut monstra potius  
marina, quàm pisces videantur. Fertur á quibusdam hoc  
mare navigantibus adeó hinc ingentes murænas prospici  
serpentibus similes, ut naves ipsas invadere audeant, quó  
nautas vel vectores arripientes devorent. Insulæ hujus in-



colæ subterranea domicilia sibi construunt, quorum parietes piscium ossibus erigunt. Lignorum autem penuria laborant, perexiguæ siquidem arbusculæ raræq; hinc pululant. Sed summus ille rerum gubernator his necessariis annuatim satis copiosè largitur. Ex septentrionali nempe plaga quamplurimæ variæq; ac proceræ arbores turbine ventorum eradicatæ, immaniq; agitatae procella his lictoribus, naufragii instar, appelluntur, quibus incolæ abundè utuntur. Ajunt præterea, per sæpe audiri hinc spiritus se mutuó alloquentes, propriisq; nominibus se invicem appellantes, & vivis hominibus nonnunquam apparentes, quibus se ac sua nomina, qui sint, indicare perhibentur. Et in quibusdam ejus Insulæ locis, ignis visu horribilis per se excutitur, procul jactatur, rotaturque. Compluraq; alia tum visu tum auditu mirabilia hujus incolæ inesse asserunt, quæ brevitatis causâ omittuntur.

#### X. DE HIS QUI CERVIS VEHUNTUR.

Hujus regionis incolæ ferinis moribus imbuti, solitudinem incolunt, sylvestresq; omnino sunt; pane & vino penitus carent, cervos cicures ac mites reddentes, horum dorsis invehuntur. Cumq; hominibus magis ad Septentrionem vergentibus bella semper ineunt, Nocturnis nomine appellatis, quia suas ipsorū res tam publicas quam privatas noctu, quemadmodum apud nos die nostrates peragunt, eisq; hoc evenit, quia á 14. Septemb. die usque ad 16. Martii, adeó breviter dies eorum semper avolat, ut vix unius horæ spatium contineat. Ea gens pessima est, grassatrixq; & omnimodis latrociniiis deditissima, adeó ut nullus viator ea loca adeat, quin ab iisdē Nocturnis occidatur spoliaturq;. Pauló autem ulteriús á Nocturnis Africam versus, monstra quædam inesse ajunt, quæ quidem toto corpore hominibus, capite veró porcis similia sunt; grunientes porcorum instar se mutuó intelligunt.

#### XI. DE HIS QUI SOLEM VENERANTUR.

Eorum qui in hac regione degunt, quidam Solem adorant.



rant, alii veró exsurgentes lecto quicquid primum viderunt. Alii item frustum panni rubri hastæ affigentes venerantur numinis instar.

XII. DE HIS MONSTRIS, QUÆ PRÆ-  
*grandes habent aures.*

Sunt hîc monstra hominibus similia, quæ adeó demissas prægrandesq; habent aures, ut his totum corpus operiant. Ulteriusq; Orientem versus quosdam homines inesse perhibent, quorum genua & pedes junctura carent, deguntq; sub dirione magni Canis, in illa insula, quæ Balorem eorum nomine dicitur. Hæc quinquaginta dierum iter continet. hi homines sylvestres omnino sunt, montium nemorumq; cultores.

XIII. DE PRESTE JOANNE.

Hic potentissimus ille regum degit Aziimbe, Auxanecq; civitatibus imperans, quem vulgus Preste Johannem appellant, cujus ministerio astricti sexaginta reges versantur, quorum jus potentissimorum regum felicissimam sortem divitiis suis explens, quippe qui nunquam bello aut ullis præliis victus, sed sæpe a Troglodytis nudo nigroq; corpore populis Meridiei, maxima cum victoria triumphans rediit, qui cum promontorio Bonæ Spei conterminat. Inter quos genus quoddam horum hominum non loquitur, sed sibilis tantum se invicem percipere solent. Hunc itaque haud Preste Johannem illum esse facile constat, cum is Eois ac Meridionalibus Indis imperaret, donec Thenis primus Tartarorum rex crudelis belli congressu quodam eum superans feliciter prostravit, ejusque imperium armata manu usurpavit, Christicolisq; quoscunque ibi invenerat, impunè religione sua uti clemens concessit: ipsis regem statuit ejusdem fidei, qui mitissimè eos regeret, ac benignè tractans gubernaret, Georgium nomine; cujus deinceps successores idem sibi nomen vendicabant, quemadmodum Marcus Pollus copiosius refert.



XIV. DE UXORIBUS, QUÆ CUM MARITIS  
mortuis viva se ultro pyra comburebant.

Hujus provinciæ regniq; Bengolæ potentissimus rex est, qui pluribus ingēribus ac insignibus & maximi commercii civitatibus dominatur, estq; incredibili propemodum conjunctus necessitudine, cum invictissimo Lusitanæ rege, quo-cum perpetuo fœdere pacem inivit, undè ingens ei copia provenit cinnami, gariophylorum, zinziberis, piperisq; & sandalorum, bombycis. Eorum moris fuisse ajunt, cadavera cremare, & si uxoratus aliquis è vivis decessisset, cum eo vivam ejus conjugem in rogo mariti comburere, credentes illam ad alium orbem migrantem, eo ipso usque frui, cum quo hic vitam egerat, cujus res hujusmodi erat. Conjuge mortuo, uxor ejus convivium vivis solenne parabat, defunctoq; parentalia, induebaturq; auro & peplo pretiosissimo, omnibusq; jo-calibus quæ possidebat, & ad lautas epulas illas omnes cōfestim tam sui quàm mariti affines & amici properantes convivabantur, quibus postquam exempta fames epulis mensæq; remotæ; tunc illa convivis omnibus & funerali pompa stipata, ad pyram accedebat, exultansq; canebat & tripudiabat. Quò ubi pervenerant, mariti cadaveri igne dejecto ipsa deinceps in rogam desiliebat, extremū vale omnibus dicens; & quo hilariori vultu in flammam se projiciebat, eò majori se suosq; omnes honore afficiebat. Enimverò vanus ille ritus & detestanda religio evanuit, ex quo gens Lusitana eorum commercio utitur. quippe quæ diu eos admonēs, pessimum facinus illud dedocuit, quæ omnia Deo displicere facile nunc persuadentur.

XV. DE TARTARORUM PRINCIPE,  
quem vulgus magnum Canem appellat.

Princeps ille Tartarorum, quem vulgò magnum Canem nominant, locupletissimus potētissimusq; esse perhibetur: jubetq; superbissima nomenclatura se regem regum ac potentissimum omnium principem nominari. Huic morem esse ajunt, iis viris omnibus, qui in ejus aula suo ministerio astricti versantur, tredecim diebus festis, quos



quos summo honore quotannis peculiari ritu celebrat, recētes pretiosasq; vestes pro cuiusq; meritis dare; donatq; his omnibus festis etiam singulis zonas, tibialia, caligas, galeros vel umbellas, auro, margaritis, ac pretiosis gemmis circumseptas, ut cuiusvis merita sunt. Vestium autem numerus, quas singulis annis largitur, sex millium supra centum quinquaginta proditur, quæ omnia & sua festa colendi ac extollendi, & proprii nominis celebrandi gratiā diligentissimè fieri curat; qui mortuus in montem, cui **A L C A I** nomen inditum, tumulandus effertur. Porro efferentes, quotquot inter eundem obvios habent, pro victimis occidunt. Ajunt siquidem par esse eos suū principem comitari, cui alio orbe debita servitutis officia sint præstanda. Mactant etiā equos, omnes camelos ac mulos, quibus vivens utebatur; persuasum habentes, ea omnia suo principi post mortem servitura mortuo. Horum Tartarorum Principi, quem magnum Canem appellari diximus, trecenta hominum millia in itinere, cum in montem, ut diximus, deferretur, ab efferentibus reperta cæsa sunt, autore Marco Pollo lib. 2. cap. 24. Afferit hoc idem Florentinus Poggius, qui á secretis fuit Eugenii Papæ quarti lib. 2. de fortunæ mutatione, qui non dubia esse, quæ á Pollo scripta sunt, apertissimè demonstrat.

#### XVI. DE TAPROBANA INSULA.

Taprobana quænam sit, & ubi terrarum sita, variè auctores sentiunt; ex quo ab incolis Baticæ regionis, nec non Lusitaniæ, mare Indicum navigari cœptum est, utq; á Ptolemæo secundum latitudinem graduum ac longitudinem ejus describitur; neminem latere censeo. Nonnulli verò neotericorum, qui incognita loca nobis nota tradidere, Ceilam insulam Taprobanam esse, ore uno asserunt; alii eam Camatram esse contendunt. Plinius lib. 6. cap. 22. hujus meminit, dicens; Taprobanam alterum orbem terrarum esse diu existimatum, Antichthonum appellatione. Alexandrum autem tradunt primum extitisse, qui eam Insulam esse non orbem indicaverit. Utq; Onesicritus classis ejus Archithalassus refert, hæc insula majores pugnacioresq; habet elephantos omnibus quos to-



ta insula enutrit; cuius insule Megasthenes longitudinem septem millibus stadiorum, quinque veró millibus latitudinem ejus metitur. Nulla civitas mœnibus vallatur, septingentæ tamen ejus provinciæ villæ numerantur. Adhuc sub ditione Claudii circa primam sui imperii gubernationem hujus Insulæ Oratores Romam petiere, hac de causa & ratione. Libertus Danius Plocamius á Romanis vestigalia & proventum maris rubri redemit; dumq; Arabiam obnavigat, septentrionalis vêtus eum ab ea procul disjecerat, ut quindecim elapsis diebus cuidam hujus insulæ portui appulerit, cui nomen Hippurus. á cuius rege benignè hospitio susceptus est, postq; sex menses, cum ejus idioma satis apprimè addidicisset, ac longo sermone regem alloqueretur, maximam Romanorum justitiam, summamq; eorum Imperatoris rectitudinem enarrabat. Cumq; rex diversum genus monetæ Romanorum diu circumspiceret, quod Libertus secum attulerat, varia Imperatorum imagine impressos nummos: pondus veró æquè omnium idem animadvertens, maximè admiratus est. Unde confestim ad Romanorum Imperatores oratores legavit, qui perpetuum cum eo pacis fœdus inirent, cui cum sociis Rachias oratorum ejus celeberrimus Claudium conciliavit, ex quibus Imperator quingentas huic Insulæ civitates inesse facile percepit, inque sua cæli plaga septentrionalem Arctum, & Vergiliarum ortum minimè videri; quibus conspectis admirabantur, siquidem hæc sidera suæ regioni incognita esse, & nunquam apparere asserebant. Præterea Lunam ab octavo ad quintum decimum usq; diem tantum prospici aiebant. Illud omnium maximè eos admiratione afficiebat, quod umbra dextrorsum ad nostrum polum vergerent, cum sua ipsorum regione sinistras ire semper intuerentur, solemq; dextera exoriri, læva veró occidere. quibus de causis & rationibus constat, Arctum in hac insula, cui Libertus appulit, nunquam videri. quodq; Libertus insulam S. Laurentii, non autem Taprobanam adiit. Siquidem ex Liberti cursu & navigatione, enarrationeq; oratorum ad Tiberium (ut dictum est) insula cui ipse libertus Danius Plocamius appulit, haud Taprobana fuit, sed potius insula D. Laurentii. Huic



Hi. Huic insulæ moris est: ajunt, regem é senioribus eligere communibus omnium suffragiis, qui clementia, comitate, ac ingenii animi benignitate longé omnes superet, quiq; sine liberis ac prole sit. Hic itaq; sceptro jam potitus, si interim liberos adeptus fuerit, confestim regia potestate privari solet. Tempore autem quo is deligitur, triginta consilarii, qui regi assistant, decernuntur. hic autem neminem morti adjudicare potestatem habet, ni prius major eorum numerus ipsi suffragetur. Adhæc jure reo permittitur, qui á rege & ejus consiliariis morti adjudicatus est, populum in sui defensionem provocare. Hic protinus septuaginta legum peritissimos ac justissimos judices deligit, qui ejus causam diligenter examinant. Hi, si reum mortis iniqué condemnatum communi omniũ consensu compererint; eum ilicó vinculis solvunt, ac pristinae libertati restitunt. Consiliaios veró qui reũ moriturum censuerunt, injustissimé regio privant munere, ac perpetua eos ignominia afficiunt.

XVII. INSCRIPTIO SEU TITULUS Auctoris.

Sebastianus Cabotus Dux & Archigubernius sacrae Cæsareæ Catholicæ majestatis, divi Caroli Imperatoris, hujus nominis quinti, & regis Hispaniæ, summam mihi manum imposuit, & ad formam hanc protrahens, plana figura me delineavit, anno ab orbe redempto, nativitate Domini nostri Jesu Christi 1549. qui me juxta graduum latitudinem ac longitudinem, ventorum situm, tam docté, tam fideliter, navigatoriæ chartæ instar, descripsit, Geographi Ptolemæi autoritatem, peritiorumque Lusitanorum fidem secutus, nec non ex usu atque industria longæ navigationis, integerrimi viri Joannis Caboti, natione Veneti, atque Sebastiani astrorum peritia, navigandiq; arte omnium doctissimi ejus filii, auctorisque mei, qui aliquotam orbis partem diu nostratibus clausam aperuerunt. Quapropter me fida doctissimaq; magistra, seu hydrographica charta utens, quocunq; est animus, mare metiri poteris, acus nauticæ variatione observans, qua ad Arctum vertitur, cujus rei argumentum est; si ex sacro



promontorio nauticū solveris; Celticum promontorium petiturus, navim licet protinus ad Arctū dirigere jubeas, hydrographica acus, quo cursu recto tramite finis terrę appuleris promontorio: iter tamen quod vere navis tua peregerat, non rectā ad Arctum, sed Arctum versus ad quartam Cæciæ fuit navigatoria. Siquidē acus, etsi recta linea ē sacro promontorio ad oram finis terræ cursum demonstrat; ad Arctum nihilominus tamen quarta parte ab Arcto ad Cæciam distare certū est. Quapropter cū navim acu nautica ad Arctum regere jusseris, erit navigatio tua per quartam septentrionis, Cæciam versus. Eandemque navigationis considerationem observabis, cū ē Salmedina brevi scopulosoque mari, in exitu portus S. Lucæ ad Nagæ oram Tenerifiæ insulæ navigare decreveris, tunc siquidem ad Libem seu Africū navim regere studeas, hydrographicæ chartæ observatione; rectus tamen itineris cursus nauticæ acus probabiliore fide per Africum quartam & eó ampliū Austrum versus procul dubio erit. Salmedinæ nempe ad Nagā navigatio quarta longē minū quam hydrographica charta indicat, nautica acus demonstrat. Unde pro comperto habebis, cū ē sacro promontorio jam solveris, septentriones petiturus, quod iter tuum erit per quartam Arcti Cæciam versus. Eodem modo si ē Salmedina ad Nagam Tenerifiæ insulæ adnavigaveris ad Africum; navis tuæ cursus erit per quartam Austri. Eadem ratione sigillatim uti poteris, in quavis hujus descriptionis parte, acus magnete fricatæ variationem observans, quam cum Arcti sidere variē operatur, quippe quæ non assidue, neque ex omnibus locis septentrionem spectat, (uti plebs indocta censet) cū Magnes lapis ille (ut patet) nullam habeat vim dirigendi navigatoriam acum, ex omni parte ad Arctum. Quin potius (ut experienciā constat) chalybem volubilem immotum reddere rectā lineam, non autem circulari, ad quemvis ventorum Arcto proximum. & hac de causa acus nautica usque variatur. Nam si eadem acus assidue & ex omnibus locis verteretur ad Arctum, nulla fieret ejus variatio, utpotē quæ per circularem lineam semper viam demonstraret. Ex quo sequeretur eundem æquidistantem seu parallelum frequētare, quod nullo



nullo modo continget rectâ lineâ circularem formam aduenti. Porró unum hoc adnotabis, candide lector, quo magis ad solis ortum vel occasum á linea meridionali secedes; ubi acus nauticæ depictum lilium directé arcum ostendit; eó magis ab Arcto te distare pro comperto habebis. Unde satis liquet, acum nauticam rectâ lineâ, non autem circulari, viam demonstrare. Adnotandum igitur est, quód linea meridionalis quâ acus nauticæ lilium rectissimé septentriones ostendit, distat á Florum insula 30 parasangis, quæ quidem ultima Accipitrum insula est occidentem versus, juxta peritissimorum omnium navium gubernatorum consensum opinionemq;: nec non eorum solerti experientia, quam diutina assiduaq; navigatione suo jure profitentur. siquidem Atlanticum mare & Indicum indies remetiri assueverunt. At hæc Sebastianus Cabotus, meus autor, occidentalem Oceanum adnavigans, ad æquor quoddam devenit, & plagam, ubi quarta parte Septentrionum juxta Cæciam ventum acus navigatoriæ lilium illi rectissimé Arctum ostenderet. Quibus de causis & rationibus & tutissima navigandi experientia apertissimé constat, defectus & variationes acus nauticæ crebró fieri cum Arcti observatione.

## XVIII. DE CIAPANGU.

Ciapangu magna Insula est, vasto sita mari, milleq; & quingentis milliariis distans á continenti, quam Tartarorum princeps tenet, ad eam regionē vergens. Incolæ idola colunt, moribus ac forma honesti, rege libero, nullique principi obnoxio gubernantur, qui nimia auri copia inde extracta ditissimus est; quod quia ipsa á commercio hominum longé semota est, nullisq; mercatorum navibus accessus patet, extra insulam nunquã exportatur. amplissimam rex in ea basilicam habet, aureis laminis duorum argenteorum crassitudine ubiq; contextam. Ejus fenestræ ac columnæ aureæ omnino sunt, & quod mirabile visu est, margaritis & gemmis non paucis exornatæ: cujus insule opes cum magno Cæsi famâ differēte pernotæ essent, eó ipsam expugnaturam profectus est. Quo cum magnæ ejus copiæ pervenissent, expugnare nequiverunt. Auctor est Marcus Pollus cap. 106.

Qq iij



## XIX. DE MARI SCYTHICO.

Plinius 67. cap. 2. lib. his feré verbis scribit: A Gadibus columnisq; Herculis Hispaniæ & Galliarum circuitu totus navigabatur occidens tempore Augusti Imperatoris. Septentrionalis veró Oceanus majori ex parte navigatus est auspiciis ejusdem Divi Augusti, Germania classe circumvecta, ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari prospecto aut fama cognito, ad Scythiã plagam, & humore nimis rigentia, propter quod minime verisimile est, illic maria deficere, ubi vis humoris superet. Juxta veró ab ortu sub Indico mari, sub eodem sidere pars rota vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis, Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui & Seleucida & Antiochida ab ipsorum nominibus appellare voluerunt. Circa Caspium quoq; multa Oceani littora explorata, parvoque breviús, quàm totus hinc aut illinc Septentrio circumnavigatus. Præterea Cornelius Nepos tradit de Septentrionali circuitu; Quinto Metello celeri, Caji Afranii in consulatu collegæ, sed tum Galliæ Proconsuli, Indos á rege Suecorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus fuissent in Germaniam abrepti.

IN ROSIMUNDAM HENRICI SECUNDI  
Anglorum regis amicam in cœnobio  
Godstovejo.

*Hoc jacet in tumultu Rosa mundi, non rosa munda;  
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.*

POLO.